

544

Lib. IV. Cap. V.

vid. Arist. *l. 1. post. c. 13.* e. g. O respirans est animal. Lapis non est animal. E. lapis non respirat. Nihil tamen obstare videtur, quominus in prima quoque figura formetur. Nam si major allati exempli convertitur per contrapositionem h. m. Quod non est animal, non respirat & subsumo: lapis non est animal, vel potius, lapis est id, quod non est animal. E. lapis non respirat, rectè etiam demonstratur effectus vel potius negatio effectus, per negationem causæ remotæ, & quidem in prima figura.

- .. 5. Nota 1. Si comparatio instituitur inter
- .. illam demonstrationem, quæ ex effectu de-
- .. monstrat causam simpliciter proximam, &
- .. eam, quæ procedit à negatione causæ remotæ
- .. ad negationem effectus, nobilior esse videtur
- .. illa, quæ procedit ex effectu, ut demonstret
- .. causam proximam, hujus enim beneficio fa-
- .. cile pervenire possumus ad demonstratio-
- .. nem *div'n* & regressum instituire.

6. Not. 2. Ut hoc rectius intelligatur, sciendum, quod regressus h. l. nihil aliud sit, quam cum prius causa ignota ex effectu notiore colligitur, postea verò ex eadem causa inventa & cognita regrediendo, effectus demonstratur.

7. Cum